



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. An & quomodo privilegium sinatur per lapsum temporis & cessationem causæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

legiati religiosi in abusu suorum privilegiorum, præsertim contra Episcopos, quos in relato cap. prohibet sub pœna interdicti in eorum Ecclesias statuendi; & in jure communi legi possunt.

## §. II.

*Quinam præterea alij sint excessus sive abusus privilegiatorum?*

**P**lures adhuc excessus tales in hoc tit. enumerantur cap. ad hac §. cap. patientibus 10. cap. tuarum 11. cap. Autoritate 4. in 6. cap. Episcoporum 8. in 6. h. t. &c. quæ jura legi possunt.

## §. III.

*De alijs quibusdam specialibus excessibus, & culpis religiosorum prohibitis jure Canonico, & eorum pœnis.*

**V**ideatur de his *Clement. religiosi* 1. h. t. ubi religiosi quorundam Sacramentorum administratio sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, à qua non nisi à Pontifice absolvi possint, prohibetur, sine speciali licentia Parochi, aut speciali privilegio &c. & in §. 1. quibus etiam sub præcepto obedientiæ & cõminatione maledictionis æternæ inhibetur, ne detrahant Ecclesiarum Prælati, ne laicos ab Ecclesiarum suarum accessu arceant, ne indulgentias indiscretas promulgeant &c. videatur relata *Clementina*.



## §. IV.

*De pœna abutentium suis privilegiis, & pœnitione violentum aliena privilegia?*

**R**esp. quòd propter abutentium pœna revocari privilegia, quia necesse privilegatus amittere privilegia, quæ permittit sibi abutitur potestare, cap. privilegia 24. h. t. & si aliena privilegia violant, sive directe, sive indirecte hoc fiat, non tantum sua privilegia spoliandi dicuntur cap. delicti 4. h. t. (neque enim sunt illis sua jura servanda qui non metuunt violare aliena, cap. si decet. 22. ca. 25. q. 2.) sed etiam castigandos asserit Pontifex cap. quoniam 26. h. t.

## §. V.

*Proponuntur brevis summa institutionum extravaganantium hujus tituli.*

**V**ideatur extravag. *franco*, ad vobis h. t. & inter communes extravag. 2. 3. & 4. h. t.

## SECTIO VI.

*De amissione & revocatione privilegiorum.*

## §. I.

*An & quomodo privilegium amittitur per lapsum temporis, & cõditionem causæ?*

**F**uit privilegium lapsu temporis, & quod restrictum fuit, certum est, cap. de causis 4. de Offic. jud. de leg. 1. p. 1.



prout cessat etiam privilegium conditionatum, cessante conditione, sub qua concessum fuit. Causa verò si cesset, cessat quidem etiam privilegium, si causa illa finalis motiva & principalis fuerit, & privilegium tale sit alicui præjudicans, ad cuius conservationem causa etiam requiratur; non cessat tamen, si causa, quæ cessat, tantum sit impulsiva, aut merè favorabile privilegium, cuius usus propter mutationem variarum circumstantiarum non est illicitus, & injustus redditus.

## §. II.

*An privilegium finiatur per mortem illius, cui concessum est, vel per mortem concedentis, item an per renuntiationem privilegiati?*

**S**I personæ tantum concessum sit privilegium, extinguitur per mortem illius, ita ut ad hæredes non transeat, quia personæ coheret, & eam sequitur *cap. privilegium 7. de regul. juris in 6.* si verò ratione dignitatis v. g. alicujus, ratione loci, officij &c. concessum sit privilegium, ita ut non tam personale, quam reale sit, non extinguitur per mortem illius, qui hoc privilegio ratione dignitatis v. g. gaudebat, sed transit ad eum, qui in dignitate, seu officio succedit.

Neque per mortem concedentis amittitur ordinatè privilegium, uti patet *ex lib. 1. Decret. tit. 29. sect. 7. §. 5.* si semel legitimè acquisitum est, cum sit favor Principis, qui permanere debet, & liberalis quasi donatio, quæ semel facta non expirat per mortem donantis, nisi

aliter sentire & loqui jubeant, verba privilegium restringentia, ultra mentem enim concedentis, quæ per verba innotescat, extendendum non est privilegium.

Quia verò quisque suo juri, & favori pro se introducto cedere potest, si nulli cessio talis præjudicet, hinc valida, & licita est renuntiatio privatæ, & particularis personæ, si privilegio sibi peculiariter factò renuntiet, & effectum suum plenum habebit renuntiatio hæc, ut pertinere amplius non possit, si à concedente privilegium fuerit admittà renuntiatio; si verò in favorem alicujus communis, dignitatis, vel loci fuerit concessum privilegium, non possunt particulares illius communis personæ tali privilegio renuntiare, cum renuntiatio talis esset in præjudicium communis, dignitatis, vel loci illius. *Argum. cap. cum tempore §. de arbitris, & cap. si diligenti. 12. de foro compet.*

## §. III.

*An & quando amittatur privilegium per tacitam renuntiationem, sive per non usum, vel per contrarium usum, vel per abusum?*

**Q**UOD Privilegia affirmativa, quibus datur facultas agendi aliquid, cum gravamine & onere aliorum, per non usum privativum (voluntarium & liberum, oblatà occasione utendi privilegio) amittantur, per viam præscriptionis, & tacitæ renuntiationis, passim docent auctores, qualis tamen tacita renuntiatio, non censetur ille non usus, quo quis lon-